Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Lunæ trigesimâ Januarii.

M. JOANNE POISSON, Doctore Medico, Præside.

An febribus intermittentibus prodest pulvis peruvianus per inferiora injectus?

FEBRIS, græcis Πυρετὸς, morbus est omnium maximè communis; Nullâ non sævit regione aut tempestate; Nulli hominum ætati aut temperiei parcit; In ipsis etiam Εὐκρατοῖς sanguinem quamvis legitimum, sed copiâ & actuosis particulis turgentem corripit; In Δυσκρατοῖς vero, ex quâlibet Δυσκρασίας, aut Κακοχυμίας specie emergit; vix illius telis se subducunt aliqui ab incunabulis; Imò nondum editos fœtus in ipso matris utero non raro adoritur, eosque petitis è materno sinu sagittis & gladiolis, quasi per insidias, & in oculto configit & perimit. Proh! Quam metuendum malum est febris, cum ab impuris parentibus causis intùs genita, ex maligno aëre sibi vires addit; nunc per se exurgit; nunc symptomaticè succrescit; nunc continuo jugique incendio humidum primigenium depopulatur; nunc vago; nunc stato & periodico recursu exardescit. At vitalem focum corde potissimùm vigentem semper inficit & imminuit. Vim nominis si spectas, ignea quævis immoderatio ad cor perveniens, etiam exirâ aut æstuoso & libidinoso orgasmo quem dicunt amorem, febris audiat. Hinc de irâ scribit Virgilius: *Ignescunt iræ, & duris dolor ossibus ardet*. De amore autem: *Quid juvenis magnum cui versat in ossibus ignem, durus Amor*; de quo etiam scribit Seneca Tragicus: *Virginum ignoto ferit igne pectus: senibusque fessis rursùs extinctos revocat calores*. At Physiologicâ mentis acie, æquiorique examine rem perscrutanti, mox compertum fit, febrilem caloris immoderationem spuriæ fermentioni & exlegi humorum concitationi pulsuique frequentiori succrescere, proindeque essentialem febris differentiam ab ipsâmet fermentatione pulsum concitante oriri & constitui: ipsâque remanente, cæteris vero detractis: imò detractâ etiam aliquando caloris immoderatione, ut in quibusdam febribus ex pravo succo pancreatico & pituitoso ortis, humores febriliter affici. Dantur in Chymicis effervescentiæ frigidæ; Quidni & febres aliquæ in humoribus, citrà ullam caloris immoderationem, quas etiam observavit Sylvius. Frequentior pulsus primarius est febrilis fermentationis partus, illiusque signum pathognomonicum; In algidis febribus, nullo facto caloris augmento pulsificus motus augetur: In malignis vero, calore vix legitimum gradum superante: aut summo etiam vigente aliquando humorum incendio, Pulsus fit cum virium prostratione debilior. Febres quæ Putridæ audiunt, tum continuæ tum intermittentes, oriuntur nunc à vitioso & pravè acescente fermento, suo ingrato acore, suisque pravi moris spiculis febriles exacerbationes concitante: nunc ab Ustulatis, acribus, orbiculatis, sed sphæricis asperis particulis ammoniaco sali analogis, sinu suo quasi retorrido indomitos quosdam flatus coërcentibus, & cum sanguine arterioso aliisque acuminatis humoribus nusquam non certantibus, eorumdemque humorum ebullitionem exundationemque suscitantibus.

FEBRIS intermittens, de quâ fuit instituta quæstio, ratione intermissionis, est ea cujus Paroxysmi stato & periodico ordine redeunt & in ἀπυρεξίαν desinunt. Quoad essentiam verò, non solâ habitâ ratione morbi status; (quem tantum intuentur qui essentiam febris à caloris immoderatione constitui asserunt) sed ritè observatis & perspectis omnibus morbi temporibus, Prædicta intermittens Febris definiatur: spuria & adulterina sanguinis & humorum pravè acescentium fermentatio, à putrido foco primùm oriens, vicinum sanguinem inficiens & fermentans, deinde simul cum fermentantibus & fermentatis particulis per venas ad cor properans, illudque pravè afficiens indè per arterias frequentiori motu pulsifico cum corde concitas ad omnes corporis partes excurrens, torpentes hic illic humores agitans, membranas pungens, easque frigore, horrore, aut rigore percellens, caloris demùm immoderationem ut plurimùm inducens, & actiones lædens. Tres autem vulgo numerantur febrium intermittentium differentiæ, à triplici commotionis ordine petitæ. Has si recenseas, Quotidianam, Tertianam, & Quartanam intermittentem dari mox comperies: Quarum scilicet paroxysmi, nunc singulis diebus, nunc tertio, nunc quartoquòque die suscitantur. Utraque illarum, nunc simplex est, nunc composita: Duplex: Triplex: aut complicata; nec omittendum dari etiam Quintanas febres: Vel forsan alias longioris recursûs. Prædictarum omnium febrium causa conjuncta, lentus & pinguis humor extrà circuitûs legem positus, huic illive parti aut Parenchymati plùs aut minùs profundè affixus, ibique in putridum serum, ichoremve aliquâ sui parte per vices solvendus; vulgo apud recentiores coagulum audit: aliàs verò febris focus: qui rursus vel est unicus, unicâque sede lentescens: Vel multiplex variisque partibus aut Parenchymatis nunc convexè adhærens: Nunc altius immersus, sive sit unius ejusdemque moris, sive diversi. Circà ipsummet febrilem focum duo sunt Physicâ meditatione observanda: scilicet congestus humor pigrâ segnitie torpens, se seque à circuitûs lege subducens: spissior enim est, quam ut venulis refluere possit: & pars ipsi subjecta plùs aut minùs valida, plùs aut minùs à corde remota. In congesto humore, (qualiscunque sit illius substantia, & copia, tenuis aut crassa, pituitosa aut biliosa) duo etiam attendenda occurrunt: nimirùm illius materia passiva, & ad lentescendum plùs aut minùs apta: deinde mobiles particulæ ejusdem torpentis materiæ sinu conclusæ; (has si Flatus appellaveris nihil est quod redarguam.) Ex utrisque simul junctis coalescit, hacque vel illâ corporis parte lentescit febrilis focus, aliis fermentum, sumpto nimirùm fermenti nomine: nunc pro totâ humoris substantiâ: nunc pro mobilibus particulis seu flatibus segnis materiæ sinu conclusis, febrilique exacerbationi initium daturis. Spurii illi spiritus seu flatus putredinis labe ingratoque acore vitiati, cum in venas refluunt suo impuro contagio sinceriores succos inquinant, iisdemque conclusos genuinos & legitimos spiritus vitam foventes putridâ corruptelâ inficiunt, febrilique commotione proritant. An ulteriùs scrutari fert animus, Quomodo febris intermittentis paroxysmus, factis post declinationem periodicis induciis, simulatoque pacis fœdere periodicè hostilis redeat? Hippocratem consule; ad hunc naturæ genium ipsamet medendi scientia te provocat. Hunc si audieris, mox comperies, febrilium recursuum causam proximam, variis & repetitis febrilis coaguli deliquiis tribuendam esse. At si rursus quæris: quâ naturæ lege, quo morbifico fato, febrile coagulum sua putrida liquamina partitis & periodicis vicibus fundit & dimittit: Iterum divini senis consilium exquire; juxtà ipsum autem, tunc febrilis coaguli pars resolutioni aptior in putridum Ichorem, corruptumve serum solvitur, cum solida aut carnea pars febrili coagulo subjecta novos & amicos succos ab alimentis venientes excipit, iisque intùs susceptis, rancida pravèque acescentia veteris alimenti liquidiora recrementa deponit, novis ut fruatur succis, donec illi febrilis foci vitio corrupti, iterum sint dimittendi, & à recentioribus deturbandi. Pro vario autem febrilis humoris coagulo extrà circuitûs legem plùs aut minùs à corde remoto: Imò & pro diversâ illius conditione, aut ad putridam colliquationem dispositione, hic vel ille febrilis circuitus agitur: hoc vel illo humorum impetu æger affligitur. At super febrili exacerbatione tibi rursùs venit salutandus audiendusque Hippocrates. Juxta ipsum autem tunc redeuntis paroxysmi motus repetit, cum prædicta febrilis coaguli Ichorosa deliquia intrà venas suscepta contractam putredinis labem, spuriis spiritibus invectam, ad cor deferunt, ipsumque impuro liquamine inficiunt, quin & hospiti suo dolosi advenæ insidiantes, sinceriores vivificosque spiritus cordi copiosè insitos, aut ad ipsum à cerebro transmissos hostiliter oppugnant, ipsosque inordinato fermentationis motu conturbant. An igitur notus fuit Hippocrati sanguinis & humorum circuitus fluxu & refluxu absolvendus? istud si quis negaverit, erga divinum senem injurius est habendus, atque in ejus scrutandâ doctrinâ haud satis sedulus.

NULLA est itaque intermittens febris absque crudo & lento aliquo humore, in hac vel illâ parte, imoque aut convexo partis loco degeneri facto, quin & partitis vicibus sensim liquescente venasque subeunte. His ita stabilitis, ecquis non agnoscit, ægrum febre intermittente laborantem, à Medico eam maximè artem exposcere, quæ possit morbi focum vel exhaurire, vel illius saporem pravè acescentem in melius mutare, omnemque coruptelæ labem ab ipso depellere. Febrilem focum exhaurit Medicus, tum venæ sectione, tum debitâ purgatione: Celebratâ enim venæ sectione, juxtà artis leges priùs indicatâ vel ex parte morbi, vel ratione symptomatum, sanguis minori quantitate, aut saltem (ab aëre admixto) dilutiori, ad ægram partem defertur: amplior vero fit versùs eandem partem aëri locus; Aëris autem beneficio lenique flabello, & facili motu, febrilis focus ventilatur, ejusque lentor aut Crassities sensim attenuatur, atque ad exhalationem, aut quamvis aliam expulsionem præparatur. Institutâ item purgatione, eâque (sumptis nimirùm hinc inde indicationibus) mitiori aut validiori, reserantur excretionum viæ, febrile coagulum debito modo succutitur, & ad fluentium humorum motum consecutione quadam foras deducitur; arte nimirum naturam ad superfluorum egestionem juvante; eâ tamen adhibitâ cautione, ut pars febrili coagulo crudè adhuc viscidèque lentescenti subjecta, validiori Cathartico, aut Emetico, non convellatur, ne succussa incendatur. Valet quidem nonnunquam validior succussus ad fluidorum egestionem; Atsi vacuandus humor, crudè viscidèque lentescit, (*ut nuper fuit observatum in medicâ Thesi, cui præfuit Celeberrimus Medicus Regis perpetuò ordinarius, vir medendi peritissimus, verbo & scripto doctissimus, & disertissimus, neminique non amandus*,) Quo plus succuties eo magis lædes; pars enim crudo, lento, viscidoque aut adusto humori subjacens, nimiùm succussa incenditur & intumescit, sicque intercluso humore omnis præcluditur vacuandis exitus, sitque inflammationis, aut schyrrosæ concretionis periculum non exiguum. Neque item validiori, aut emetico cathartico, imò nullo aut saltem mitiori utendum, si forte metuendum occurrat, ne pars febrili foco subjecta Erysipelatoso affectu succendatur.

PRÆDICTIS præsidiis ex arte tentatis, si febrilis fomes pertinaciùs crudescit, hæret & lentescit, febrisque recurrit, his ut consulatur, corticis peruviani pulvis ex hoc vel illo accommodato liquore, potissimùm autem ex vino humidulè paratus, & ore assumendus ægris ut plurimum offertur, nunc solâ tincturâ oblatâ, nunc ipso etiam tingente pulvere tincturæ admixto. Ea enim vis inest prædicto pulveri ut mucidi febrilisque coaguli vitia emendare, pravumque ejus saporem priùs indomitum frangere possit & subigere; Quod sanè non præstaret, nisi vis illa febrifuga prædicti pulveris particulis devecta (qualiscunque ea sit) ad febrilem focum, his illisve intimis visceribus conclusum, vasorum interventu facilem & liberum haberet commeatum, physicumque contactum febrili coagulo comminuendo, fermentoque ejus reprimendo idoneum. Quâ etenim ratione spiritus insitus & vivificus ea ex alibilibus succis educit, quæ alunt & nutriunt, cætera autem respuit; sic ille idem spiritus ex prædicto pulvere, aut illius tincturâ amarescente particulas sulphureo amaras prolectat & exsugit, quæ febrili noxæ edomandæ, fermentoque ejus edomando satis sunt.

PULVERIS ex cortice peruviano parati vis febrifuga suis elementis devecta, qualiacunque sint, tot experimentis claruit, totque præconiis apud Aulicos & Plebeios fuit celebrata, ut ægrorum plerique compellenti famæ obsequentes, ipsique aliquando plus æquo fidentes, ad prædicti pulveris usum, velut ad tutissimum & maximè opportunum omnium remediorum compendium ad febrium intermittentium curationem, statim confugiant. Ecquis est enim qui compediosè curari non expetit? Hinc plerumque fit, ut neglectis omnibus artis medicæ legibus, promiscuè & quasi jactâ aleâ, omnique omisso indicationum discrimine, prædictus pulvis apud ægros febre intermittente laborantes veniat in usum. Sed tum utentium præceps temeritas: tum recentioris cujusdam Blateronis obæsa rusticitas & fatuitas, legitimum prædicti pulveris usum adeo disturbant, ut illorum errore abductus, omnino fiat inutilis. Confert quidem quamplurimis prædictus pulvis juxtà artis leges plus aut minus humefactus & ore assumptus. An ideo augurandum, perridiculâ conjecturâ, eundem pulverem per inferiora injectum, febre intermittente laborantibus ea omnia præstiturum auxilia quibus ore assumptus febrifugum se prodit? *Credat Judæus Apella*: Quin & id effutiant scriptoque jactitent circumforanei medicastri, circulatoresque garrulâ audaciâ petulantissimi: At nemo sanæ mentis sibi persuaserit, prædictum pulverem per inferiora injectum, ad quamcunque viscerum partem vel profundissimam febrili foco subjectam: aut etiam ad supernas corporis partes febrile coagulum suis veluti claustris aliquando recondentes, febrifugas particulas contactu physico sanantes profundere & transmittere posse. Duo potissimum rationum momenta id dehortantur. Et primò quidem quantumvis salubris sit prædictus pulvis; nihilominus sapores quosdam habet ingrâtos, qui nisi ab insitis ventriculo actuosis particulis, tum ab aliis ad ipsum undequaque advolantibus, æquâ mitigatione subigantur, tantum abest ut prosit prædictus pulvis, quin potius suo agresti sapore, & inepto loco factâ fermentatione affligit: unde Hæmorroides, Colici dolores aliique morbi acerbissimi, quibus partes prædictis incommodis superandis non sufficientes, plurimum lædit & incendit. Hinc teste experientiâ eâque multiplici, prædictus pulvis infernè injectus, excipientem partem inutili molestiâ fatigat, sæpius vero inflammatione succendit. Secundô eo posito nec tamen concesso, quod operantibus inferioribus intestinis ex prædicto pulvere quid salubre exsugi possit: Quid inde? nulli aut paucissimi deprehenduntur ductus lactei per quos prædictæ tincturæ à suo pulvere eductæ liquamen, (si ipsius tantulum intestini suctu fuerit prolectum) ad chyli receptacula, indeque in massam sanguineam deduci & transvehi possit. Mesentericæ autem venæ ab inferioribus intestinis ad venæ portæ truncum protensæ cum mesaraïcis arteriis tantum communicant, minimè vero cum injectis, nec quicquam ab ipsis ad hepar revehunt; Imo juxtà circuitûs legem ea tantum resorbent quæ per prædictas arterias, nervos & glandulas grato & amico rore partes alluunt. His ita observatis revocatisque in memoriam tum molestiis acerbissimis, tum inflammationibus non paucis, quibus, post prædictum pulverem per inferiora injectum, intestina fuerunt correpta & incensa, nemo non colligit prædicti pulveris infernè injecti usum, esse inferioribus intestinis noxium, & ad febrium intermittentium curationem malè & temerè laudari & præscribi.

Non ergo prodest febribus intermittentibus pulvis peruvianus per inferiora injectus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Philippus Douté, Chirurgiæ Professor.
M. Amandus Douté.
M. Franciscus Goüel.
M. Nicolaus Brunel de la Carliere.
M. Joannes-Baptista Doye.
M. Urbanus Leaulté.
M. Alexander Michael Denyau, Professor Regius.
M. Claudius de Frades.
M. Abrahamus Thevart.

Proponebat Parisiis ANTONIUS LE CLERC, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1696.